

# Præcipuæ ex iis quæ in Theoricis planetarum, Georgij Purbachij annotauimus.



**S**arcus zodiaci quem Sol apparenti motu in dato tempore percurrit, per equalia sectus fuerit à linea mediæ longitudinis tantus erit illius temporis motus æqualis, quantus apprens.

Quantouis temporis spatio dato, arcum zodiaci reperire quem Sol in tanto tempore apparēti motu percurrat, paresq̄ faciat in eodem tempore æqualem motum & apparentem.

Ioannis Baptistæ antiqui expositoris error aperitur, de loco maximæ æquationis centri Lunæ.

Punctum illud eccentrici Geometricè inuenitur, in quo maxima fit æquatio centri in ipsa Luna, & quantum ab auge distet ipsum punctum.

Quanta sit maxima centri æquatio numeris ostenditur: & quanta etiam sit distantia epicycli à centro mundi in eo situ.

Ioannis Baptistæ sententia de minutis proportionalibus refellitur.

Quando in uno atq̄ eodem situ epicycli inæqualibus argumentis pares respondent æquationes, plus distat à fine argumenti maximæ æquationis illius situs finis argumenti minoris, quam finis maioris.

In solo Marte axis orbis deferentis epicyclum axem zodiaci secat, non in Ioue, nec in Saturno. Contrarium docet Purbachius.

Maximæ æquationis centri in tribus planetis superioribus demonstratio, in qua error aperitur Erasmi Reinnoldi, & alterius etiam Erasmi, & antiqui expositoris.

Æquationes argumentorum in ipsis tribus planetis superioribus ad situm mediocris remotionis centri epicycli à terra supputatas esse: non autem ad medias longitudines à Georgio Purbachio definitas.

Inter situm augis & oppositi augis semel tantum centrum epicycli Veneris atque Sol in eodem loco zodiaci uerè sunt secundum longitudinem, quando uide licet distantia centri epicycli à centro equantis equalis fuerit semidiametro deferentis.

Celerius moueri centrum epicycli Mercurij circa auge[m] equantis, uidelicet super centro deferentis: tardius autem circa oppositum augis, demonstratur.

Æquationis argumentorum quæ in tabulis Mercurij scribuntur, sunt quæ contingunt dum centrum epicycli à centro mundi distat interuallo equali semidiametro deferentis: sed huiusmodi distantia mediocris distantia centri epicycli à centro mundi dici non potest, nisi ualde improprie loquaris, ut Georgius Purbach.

Quanto arcus motus argumenti uicinior fuerit opposito augis uerè epicycli, tanto æquationem ipsius motus argumenti maiorem fieri.

Maior quantitas epicycli causa non est, ut stationum puncta uiciniora sint opposito augis uerè, si cetera ponantur paria.

Fieri quidem potest, ut in minore epicyclo stationum puncta minus distent à perigeo ipsius epicycli, in maiore uerò longius distent.

Tarditas motus argumenti, id est, tardior motus planetæ in epicyclo uerè causa est, ut puncta stationum magis inuicem appropinquent.

Gabri & Ioannis de Montereio argumentatio aduersus Ptolemæum soluitur, qua contendunt fieri posse ut in eiusdem planetis ad inæquales à centro mundi remotiones æquales sint stationum arcus.

Discrimen quod notauit Erasmus Reinnoldus inter Mercurium & tres planetas superiores, atq̄ Venerem, de proportionibus quæ relinquuntur, ut causas assignaret diuersitatis stationum atq̄ retro gradationum ipsorum planetarum, sufficiens non est.

In motu uerò Solis fit transitus à minori in maius: sed non per equalia.

Ar.